



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1666**

45. [54.] Literæ Goani Episc. de labor. Societatis in India.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

gloria seruire. Nec velim quenquam propterea hac loca ambire iis delitiis inescatum, sed vno Christi, crucisque amore, & desiderio vita crucifixo, & moriens, conformanda; omnique solatio destituta. Hæc ille præter quæ alia suppetebat ex Societatis incrementis gaudendi leges vberissima, nam ea numero, ac locis augebatur, & secunda fama late per Indiam nomen eius ferente expetebatur ad Collegia, qua inter cæteras incredibili voluptate mirè Xauerius afficiebatur. Refert enim Baltasar Numnius, ex Trauancoris ora scribens. B. Apostolum, Societatis ortus nuper editæ reperentem, & toto vbique iam orbe adlaborantis diuinæ gloriæ, & mortalium salutis, maxime Indorum, ab Arabia, vsque ad vltimum, & prope incognitum Orientem; prouocare solitum socios ad agendas Deo tam effusæ beneficentiæ gratias, nec præ gaudio lacrymis, erumpentique ore toto mentis affectui imperasse. Sed priusquam attingo quæ à perfectione Xauerij in Iaponiam, ad reditum Goam eius socij gessere, testem præmittam, vt integerrimæ fidei, sic auctoritatis eximia, quam de iis generatim solum, non distinctè agat, diffusus posse singula enarrare. Est hic Goanus, vnusque tota tunc India antistes, ex S. Francisci ordine, pius iuxta & sapiens, qui laborum optimè conscius, & spectator, quos in Christianis, Mauris, & ethnicis nostrorum sudabat industria charitas, impetrare ab se non potuit quin eos gratularetur Ignatio, datis Romam Cocino, Nouembris duodetrigesimo literis anno 1550.

Debeo R. vestræ has literas de operariis quos hic habet, & testis oculatus, & probe expertus, eorum agendi vim, exempli lucem, Sanctitatem viuendi, doctrinam, conciones, confessiones, iuuandis Lusitanis; peragrations istorum regnorum, infidelibus, ethnicis, Mauris eorumque vxoribus, & liberis conuertendis, tingendis sacro fonte, & instituendis in suscepta fide; deuoratas præterea (vt hæc melius præstent, & expeditius) difficultates linguarum discendarum in promotorio præsertim Comorino. Rem animarum tam strenue agunt Patres Societatis huius sanctæ, & opem tam validam Episcopis iungunt, in sustinenda mole impositi muneris, vt quicquid habemus, possumus, obtinemus id omne ab iis sit, & expunctari sint nobis multos annos flammis Iustralibus alioqui à nobis exigendos labore quem nobis commodant, ad salutem eorum quos nostro periculo curandos accipimus. Præ aliis equidem præsulibus hoc illis peculiariter nomine obstringor, vt qui degam inter tot populos adoratores lignorum & lapidum, quorum multos Patrum industria, virtusque concionum ad agnitionem Dei vnus, & augustissimæ Triadis adduxit. Porro hic eorum sigillatim gesta nec putem posse me stylo consequi, nec mei temporis occupationes patiuntur: breuiter dicam eos esse luminaria accensa ad discutiendam huius Barbariæ cæcam noctem; Deo laus, & honor, sanctorum suorum ministerio tam illustra operanti. Ego illis quæcumque in vtilitatem animarum ex me optauerint libenter concedo, quicquid est in me potestatis, & auctoritatis singulis

45

Literæ Goani  
Episc. de la-  
bor. Societatis  
in India.

gulis vtrò, plenèque impertio, vnùmque me cenſeo de Societate hæc ſancta, tametſi vita iis valdè abſimilem, valdèque imparem. Omni eos fauore proſequor, & amo in Ieſu Nazareno, ſed amore candido; ſuco procul, & ſimulatione; ſedes iis, & Eccleſias tribuo vbi degant, & vnde ad opus alienæ ſalutis exeant. Digni ſunt quos ſuis identidem litteris R. Veſtra conſoletur, mandandum quoque videretur P. M. Simoni, vt operatum ſuppetias iis ex Luſitania mitteret; eſt enim vaſtus regionis ager, operatij pauci, & immenſa laboris materia.]

55

Luſitaniz re-  
gis Ioan. 3. be-  
neſicia in So-  
cietatem.

Sed venere hoc eodem anno ad Regem in Luſitaniam, ab eius Miniſtris ſuſcripta diſtinctius, quanta noſtri per Indiam gererent, quæ cum in ſecretiori ſuo Senatu retuliſſet, addidit in Societatis laudem; multa; nec vna contentus verborum commendatione; ſtatuit quæ tùm Collegia, tùm Seminaria erudiendæ iuuentuti fundata in Indiis fuiſſent, vel in poſterum fundarentur, conererentur Patribus vniuerſa; idque Procuratori ſuo Coſmo Anneſio confiſcendum mandauit. Indiarum item Proregibus, & arcium Ducibus iniunxit, vt è Fiſco Regio, naues, com-  
meatùſque Patribus præberent, quoties Dei obſequium eos aliquò euo-  
caſſet; & quicquid demùm Patribus viſum foret ad mores corrigendos, & ſtabiliendam Fidem in locis, & arcibus Regiæ ditionis conducere, exe-  
querentur omnia diligenter: totum denique onus ſalutis infidelium  
procurandæ cum facultate regni in Oriente proferendi, à Chriſti Vica-  
rio acceptum, in Societatis humeros incumbere voluit. Poſtremò ſcri-  
ſit ad Summum Pontificem, plenas de noſtrorum in Indiis ſtrenua ope-  
ra litteras, ac nominatim de Rege Tanoris ad Chriſtum adducto, & bea-  
ta morte Antonij Criminalis; monens ſibi propoſitum in Europa, &  
India Societati domos, & Collegia magno numero ponere, in quibus præ-  
ſtantes operarij fingerentur, Chriſti Euangelio Mauros, & Ethnicos per  
vniuerſum Orientem exculturi. Rogans propterea Simonem Roderi-  
cium quem ad hoc miſiſſet benignè audiri, munitique iis facultatibus  
quæ ad promotionem, tam ſancti operis conferrent.

56

Goz Soc. la-  
bores fru-  
auoli.

Iam vt à Goa (quæ caput Indiæ) ordiar eos motus ciebant Patrum  
conciones, eòſque agebant populi concurſus, vt migrandum fuerit in  
capaciorem Baſilicam Patrum S. Franciſci, qui pro mutua nobiſcum,  
perpetuæque beneuolentia, vtrò hanc nobis prolixè commodarunt, vt-  
que ſemel guſtatus æternorum ſapor, famem proritat non ſaturat, contra  
quàm ſoleant ſenſuum voluptates; auarè ſecum pij auditores, actum iri  
putarunt, ſi de iis ſemel, aut iterum per hebdomadam audirent. Dulce  
igitur animi pabulum largius cupere, ambire noſtrorum religioſam pru-  
dentiam, ſub qua duas nonnulli, plures alij hebdomadas informarentur  
exercitiis S. Ignatij; inde vſu contracto meditandi, quotidianum ad hoc  
tempus ſibi ſeponere, quo ſoli cum Deo, ſecùmque agerent; hinc iam  
tùm, poſteaſque deinceps, fertilis ad religioſos ordines, Societatem  
præſertim acceſſio, ingenti bono miſerabilium Ethnicorum: præter il-  
los enim qui Cocini, Bazaini, & in Piſcaria Societati dedere nomen,  
Antonius